1893. I. 22.

[Zaborowski Hieronim]

MONITA
PRIVATA
Societatis Iesu.

edita
M. DC. LVII.

I. *Qualem se Societatis præstare debet, cum de novo incipit Loci alicujus fundationem?*

VT se gratam & acceptam præbeat incolis loci, quem non ita pridem suscepit, multum ad hoc conducet explicatio finis societatis præscriptus in Reg. 2. Summarii, incumbere in salutem proximi æquè ac suam. Quare humilia obsequia obeunda in Xenodochiis, & jacentes invisendi, ad Confessiones excipiendas quorumcumque, & ad loca distantia eundum, eleëmosynæ conquirendæ, dandæq; pauperibus, aliis videntibus, ut ædificati facto nostrorum, sint in nos liberaliores. Modestiam exteriorem ita omnes edisçant, ut illa alios ædificent: delinquentes è nostris vel ob id dimittantur.

II. *Quid facto opus est, ut Principum & Magnatum intimâ familiaritate potiamur?*

COnatus ad id maximi sunt adhibendi; Experientia docuit Principes tunc affici Spiritualibus & Ecclesiasticis personis quando odiosa facta eorũ non apertè reprehenduntur; sed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in matrimoniis contrahendis Principum cum sibi affinibus. Quæ matrimonia magnam habent difficultatem, ob vulgi opinionem, quod tales execratur thoros. Itaque cum hæc & talia affectant Principes, animandi sunt, assecuturos eos quod volunt: explicentur rationes, quæ illorum desiderium augeant, videlicet matrimoniũ hoc fore causam majoris vinculi, & gloriæ Dei. Sic dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus dynastis gratum; videlicet si bellum movere vult, tunc ejus voluntas juvanda, & constantiæ monendus promovendusq; animus; Primoribus regni insinuent, persuadeantque, Principis voluntati parendum esse; non tamen ad Particularia descendant, ne nobis imputetur: si tamen objiciatur

citentur

citentur generalia monita,id nobis prohibentia. Juvabit ad contrahendam familiaritatem principum,obire legationes, in materiis ipsis gratis.Per munuscula vincendi intimi principum, ut fideliter instruant nostros de moribus&humoribus principis,quibus rebus delectetur, quis sit sibi modus placendi, (Salvo tamen Jure Virtutis & Conscientiæ) & occasione habitâ insinuent se in animos Magnatum & Principum. Si careant uxoribus,proponantur illis virgines in matrimonium, quæ cum suis parentibus nostris sunt addictæ, iisque virgines depingantur laudum coloribus,quib9 eas depingi vellent ipsimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores,aliàs alienos nobis, amicos reddamus: docuit id experientia per domum Austriacam in regnis Poloniæ, Galliæ, cœterisq; ducatibus & ditionibus. Feminæ ne mutent animos, aut de suo favore in nos remittant; seriò illis inculcetur amor in nostram Societatem, tum per nostros, tum per eas famulas, quæ nobis sint addictæ, quæ variis officiis & munusculis in amicitia conserventur: Sic enim secretiora suæ dominæ, & ea quæ nostros scire oportebit, evulgabant. Sequantur in Conscientiis Magnatum regendis eorum Auctorum sententias,quæ liberiorem faciunt conscientiam, contra Monachorum opiniones, ut illis rejectis,nostras sequantur,&â nostra directione & consiliis dependeant. Quare tàm ad Principes & Magnates,quàm Prælatos conciliandos juvabit, eos facere participes meritorum nostri ordinis, habere amplas facultates absolvendi â peccatis reservatis,& censuris dispensandi in Jejuniis,debito reddendo,matrimonii impedimentis,& aliis votis: Invitentur ad scholas nostras, salutentur carminibus, inscribantur illis theses. Si expedit in triclinio tractentur, & si qualitas personæ exposcat, variis linguis salutentur tempore mensæ â nostris fratribus, inimicitias inter Magnates componant. Quod si monarchæ nobis addicto subserviat vir aliquis primarius, â nobis alienus, promittatur ei favor, & honores conferendi, ad nostrorum instantiam. Denique ita Societati curent affectos esse Principes, & magnos dominos, tum prælatos,ut pro eâ contra affines & sibi charos agant,nec demissos â Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores primatibus ominentur, delatos gratulentur libellis carminum per studiosos, in primo ingressu loci, ubi exercenda erit Jurisdictio.

 III. Quod

III. Quid curabunt Domini pro nobis, dum pecunia destituuntur, multæ tamen sunt auctoritatis in Republica, & aliis modis nobis prodesse possunt?

TAles Domini, si sæculares sint, curanda apud ipsos gratia & auxiliũ, contra adversarios nostros, favor ad lites forenses, auctoritas & prudentia coëmptionis pagorũ, domorũ, hortorũ, arearumq;, pro exstruendis societati nostrę domiciliis, in illis pręsertim civitatib⁹, quæ nostros nolunt habere. Fideles Domini conciliandi, ut mitigent, imò compescant furoré hominũ notæ inferioris, nobis nihil cooperantib⁹. A spiritualib⁹ verò, ut Episcopis, Archiepiscopis, pro diversitate nationũ id exigendũ, quod rei opportunitas ostendet. In quibusdã partibus curandum est, ut prælati & Parochi ipsius subditi nostros revereantur, nec impediant ministeria nostra: in aliis partib9 plus. Nam in Germaniâ, Poloniâ, magna est auctoritas Episcoporũ, qui parvo labore, collatâ re cũ principe, Monasteria, Parochias, Præposituras, aliasq; fundationes &c. nobis possunt attribuere, contentatione quacunq; facata sacertotibus secularibus, quod in iis locis assequi possumus, ubi catholicis hæretici & schismatici sunt permixti, ostendaturq; Episcopis, magnum fructum ex hâc ratione facturos, quẽ à secularibus Sacerdotibus & Monachis præter tantũ expectare non possint. Laudetur Zelus eorũ, inculcetur facti memoria perpetua Tales auté fundationes, ut Societas succedat in beneficia seculariũ sacertotũ, per eos Episcopos assequentur facilè, qui & confidentur nostris, & à directione nostra pendent, & sunt in expectatione ad altiores grad⁹ Episcopatus opulentioris, meditantib9 nostris. Tàm auté apud Episcopos, quã Principes curent nostri, ut, tũ fundant nostra Collegia, ad Parochiales Ecclesias, nostri quoq; soli sint, qui habeant jus conferendi vicariũ perpetuũ, cũ cura animarum; ipse superior loci pro tempore existens, erit Parochius, totumq; regimen Ecclesiæ nostrorũ sit per eosdé. Curabunt exstructiones Collegiorũ in locis ubi sunt, Academici nostris repugnantes, vel Catholici, aut hæretici Cives, fundationes nobis in suis civitatibus, prohibentes. Illi iidem curabunt pro nobis, cathedras concionatorias, in civitatũ nobiliũ Ecclesiis præcipuis. Si quando agitur de beatificando aut canonizando nostro, Magnatũ literis promovendũ erit negotium, apud sedé Apostolicã. Si ex iisdẽ Dominis cõtingat legationẽ obire, ne cognitis aliis religiosis, qui nobis cũ symbolizant, ad eos affectũ transferant, & in provincias inducant, in quib⁹

ema-

emanemus: Quare si transeant viri illustres per provincias, ubi sunt nostri, excipiantur ad Collegia, & pro modestia religiosa tractētur.

IV. Quæ commendata esse debent Concionatoribus & Confessariis Principum & Magnatum?

UT directiones Regum, Principum, Virorūq; Illustriū, rectè per nos instituantur, omnimodo ita eos dirigant, ut sua directio tendere videatur ad conscientiā, quam ipsi Principes concredunt: nō statim autē, sed sensim spectare debet directio ad gubernationē politicam externā. Quare sæpè inculcent Principibus, distributionē bonorū & dignitatū in Rep. spectare ad justitiam, graviterq; Deum offendi, si contra eam â Principib⁹ peccetur: se tamē nolle ingerere in ullā administrationē Reipublicæ; & hæc se invitos dicere, ratione sui officii. Quod, ubi apprehenderint Principes, explicetur ipsis, quibus Virtutibus præditi esse debeant assumendi ad dignitates Reip. comendationis capita sumantur, ex amicis societatis nostræ, & iis Viris, quos expedit pro bono societatis promovere, quos per se nō nominent Principi, sed per intimos amicos societatis nostræ & Principis. Quare confessionarii & concionatores informentur à nostris, qui in quavis parte illius Dominii sint viri, qua virtute, potētia, divitiis, liberalitate in nos, horū nomina apud se habeant, notitiāq; eorundē faciant principi, dextrè eos comendando, ut facilius oblata occasione promoveantur â Principibus illi, quos olim sibi laudari à suis confessionariis & concionatorib⁹ audierant. Meminerint Confessionarii & Concionatores Principū svaviter eos tractare, nulla ratione perstringere in concionib9, aut privatis colloquiis: Confectiones, aquas distillatas modicè acceptent, quod usu privato, parva pecunia sint contenti. Dū sunt in pallatiis, ad abjectiora se cubicula conferant: Prudenter inculcant suis Principibus, ne vel toto ungue discedant à cōsilio spiritualiū patrū. Curent sibi significari quā primū officialiū Reip. mortem, & de substituendis mature cogitent, agantq;, ut se suspicione eximant extēdi regiminis nec amicorū causas apud Principes promoveant per se, sed aliis potius committant.

V. Quid agendum, cum religiosi, qui symbolizando nobiscum, in multis occupationibus multum nobis detrahunt?

GEnus humanum animose nobis ferendum. Proinde inculcandum hominibus, nostrū ordinem omnium religionum habere perfectionem, & in quo alię religiones excellunt, in eo eminentiore modo societatem lucere in Ecclesia Dei, præter cautum, & victus aspe-

asperitatem, quibus discrepamus à Monachis: omnia in societate melius haberi, ipsa etiam subjecta. Notentur defectus, ex quibꝰ ostendatur, minus feliciter alios religiosos satisfacere posse illi occupationi, in quâ concurrunt nobiscum. Majorè Conatu eundum est, contra illos religiosos, qui Scholas erudiendæ Juventutis instituere vellent in locis, ubi id cum dignitate & fructu societas nostra obiit: Ostendatur principibus, tales homines fore perturbationi Reip. proponatur Academicos externos illos religiosos magis, quàm nos ipsos in ruinam; suggerant Principibus sufficere societatem erudiendæ Juventuti. Quod si literas pontificum pro se habeant, aut Cardinalium Commendationes, agant per principes apud Pontificem, cui ostendatur, societatem benê fungi suo munere; procurabunt testimonia à civitatibus, in quibus sua Collegia habent, bonæ suæ conversationis. His etiam diligenter persuadendum erit, timendas perturbationes accessu diversarum scholarum & præceptorum, etsi religiosi sint: Interim nostri pro viribns curent, studia exerceri, & specimina edi, cum applausu aliorum.

VI. De conciliandis viduis opulentis Societati.

DEligantur ad hoc opus provectæ ætatis patres, colore vivido, visitentur crebrò eædem à nostris. Quæ affectum ostenderit in societatem, vicissim societatis nostræ opera ei offeratur; si acceptat, cœperitque frequentare nostras Ecclesias, detur ei talis confessarius, qui eam benè dirigat, & constantem in viduitate servanda faciat, enummerando bona viduitatis, quibus meritum fit obtentura Ut res tota melius illi cedat, comitatus famulorum diminuendus suadeatur, ordinentur officiales Aulæ, & præfecti bonorum præscribantur, quæ spectant ad gubernationem domus, habita ratione loci & personæ. Inprimis autem efficiat confessarius, ut ejus consiliis acquiescat vidua & directionem sequatur, tanquàm fundamentum futuri boni spiritualis. Proponatur usus Sacramentorum frequens, auditus sacri, recitatio litaniarum. Exhortationes sint bis vel ter in hebdomatam, de bono viduitatis, de molestiis matrimonii iterati, periculis novisque gravaminibus ejusdem. Facetè proponat Viros Nobiles, quorum illa vidua, cum qua agitur, non abnueret connubium; iidemque viri ita descri-

deſcribantur, declarando mores & vitia ipſorum, ut audiendo vi-
dua nec cogitationem aſſumat de matrimonio. Proinde cum ſint
ita affectæ erga viduitatis ſtatum, quam primum eis commen-
dentur vota religioſa, ut emiſſo voto caſtitatis, omnem ſibi adi-
tum præcludant ad ſecundas nuptias; quo tempore maximé ſva-
dendū ut ex aula abigantur juvenes liberiores in jocis, pauci ad-
mittantur hoſpites, in iisque tractandis mediocritas. Præfecti
pagorum, Sacellani, aliique officiales tales ſint, qui aut ex noſtro-
rum commendatione habeantur, aut â noſtrorum nutu depende-
ant. Huc ubi progreſſum fuerit, paulatim ad bona opera indu-
cenda erit vidua; quæ tamen præſtabit ex directione patris ſui
ſpiritualis.

VII. *Quis modus conſervandi viduas in viduitate: & diſpoſitione redituum, quos habent.*

SI præter communem affectum teſtetur vidua clenodiis aut pe-
cuniæ non modica ſummâ ſuam in ſocietatem liberalitatem
fiat particeps meritorum ſocietatis noſtræ. Si emiſit votum caſti-
tatis renovet illud more noſtro bis in annum, exponatur ordo
noſtræ ſocietatis domeſticus, qui ſi placuerit, præſcribatur pro
Aula, indicantur confeſſiones menſtruæ, dum pro feſtis Chriſti,
dominæ B. V. & Apoſtolorum, conſtituantur ſyndicis inter mares
& fæminas, qui defectus notent inter aulicos & famulos, refe-
rantque magnificè, interdicantur nutus, ſuſurri, clandeſtina col-
loquia: delinquentes ſeverè caſtigentur: Sin in aula honeſtæ pu-
ellæ, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis, ſe in pietate
exerceant, ſuper ſe habeant manuductricem, quæ laborantib⁹ at-
tendat, & mores edoceat. Viſitentur viduæ crebro & jucundis
colloquiis, Spiritualibus tamen, conſerventur & foveantur. Non
tractetur rigidê cum ipſis in confeſſionibus; niſi tunc, cum minor
eſt ſpes aliquid ab eis accipiendi. Proderit quoque ad conſer-
vandas viduas, ſi pleraque fiant in gratiam viduarum; ut ingreſſus
in ædes noſtras, colloquia, quando & cum quibus placet, è noſtris
Non permittantur frigoribus domo exire, aut ubi ſe deterius ha-
bere ſentiunt. Nuptiæ filiarum exornentur carminibus ſtudioſo-
rum externorum; ſi exequiæ peragendæ ſunt, ornatus, licet lugu-
bris,

bris, splendidus tamen adhibeatur, Catafalci non vulgari structura. Demum quicquid fieri potest, ad viduarum sensualitatem (modo sint liberales & addictæ societati intimè) fiat, caute tamen, & secluso scandalo; agendo de dispositione redituum, quos habent viduæ, proponatur illis illa perfectio laudata S.S. quando neglectis amicis sua bona in Christi pauperes erogant. Adducantur exempla viduarum, quæ hac ratione brevi in sanctas evaserunt. Quare dum se viduæ in nostras manus resignant, paratæ sequi directionem patris spiritualis, serio inculcetur, ut majoris meriti sint illarum actiones coram Deo: Ne religiosis quidem personis dent Eleemosynas, in scio confessario, sed ad notatis illis, quæ se daturas alicui decreverunt, schedulam exhibeant confessario, qui detrahere aut addere potest, pro ut videtur. Caveant confessarii frequentem aditum aliorum religiosorum ad viduas, ne post se fœminas natura inconstantes abducant. Dum multa est pecunia & bonis collecta, ne hinc moveantur viduæ ad secundas nuptias, proponant confessarii, imò persvadeant ordinarias pensiones, quibus sublevent necessitatem singulis annis nostrorum collegiorum, & domorum professarum, præcipuè domus professæ Romanæ. Eandem pecuniam impendere possunt in casulas & paramenta templi, quæ pro nostris sacris ædibus servire possunt. Post mortem viduæ exponantur defectus Ecclesiarum nostrarum coram viduis, structuræ imperfectæ collegij, inducantur ad sumptus faciendos pro rebus perpetuam ipsis gloriam conciliaturis, ut sunt templa, cibaria, ædificia quæ consultò citius perficiantur, ut habeant in quod suam liberalitatē possint exercere. Id ipsum faciendum cum benefactoribus, & Principibus, qui nobis aliquid sumptuosè exstruunt. Si clenodia sint, suadeatur æternitati ea conservanda; Si dentur à viduis ad se pulchra nostrorum beatorum Romanorum, comprobetur id exemplis aliarum matronarum, quæ id præstiterunt. His de causis ostendetur, illas summam perfectionem assecutas, dum terrenarum rerum amore se exuendo, earum Christum Dominum in servis societatis suæ possessorem instituerint. Quod si filios & filias DEI obsequio dicare voluerint, non est liberalitas earum spernenda, accipiendo, quæ offerentur: parcius tamen ab iis viduis accipiendum, qui filios & filias ad seculum dirigunt.

VIII. De

VIII. *De remediis, ut filii & filiæ nostrarum devotarum religiosum amplectantur statum.*

SUaviter & fortiter id matri viduæ peragendum. Filiabus molesta sit virgis, minis, abstinentiis, asperius tractando, denegando ornamentum muliebre exquisitum, polliendo majorem dotem, si velit esse monialis, exaggeret futuri mariti furores, gravamina matrimonii, præ se ferat mater ipsa dolorem, se non fuisse monialem. Demum ita agat contra filias, ut tædio vitæ manendi apud matrem, aspirent ad Monasterium. Cum filiis versentur nostri familiariter, accipiantur ad Collegia, in quibus illa ostendantur ipsis, quæ moveant ad ingrediendam nostram societatem, ut sunt horti vicini collegiis, in quibus fiunt recreationes: in refectoriis ostendatur munditics, & exterior conversatio inter nostros, munuscula, faceta colloquia ad spiritum tamen, non omittantur. Sint penes tales viduarum filiorũ instructores nobis amicissimi, imò futuri de nostris: subtrahat mater filiis necessaria ad tempus modicum, exponat intricata negotia ex parte bonorum. Si ad alias provincias iverint studiorum causa, ita illos mater non delicatè tractet pecuniâ, ut tædio victi in exteris nationibus, religionem ingredi seriô meditentur.

IX. *De reditibus collegiorum augendis.*

SErio inculcetur confessariis principum, Magnatum & Matronarum, ut tum spiritualia ilis conferunt, temporalia pro bono communi societatis ab iisdem recipiant. Quocirca non amittant occasiones acceptandi, cum aliquid offertur, & si differatur, in memoriam revocent, nimium affectum minimè præ se ferendo. Qui ex confessariis minus industrii in hac re erunt, tanquam bono communi minus affecti amoveantur à Principibus, domique exagitentur. Magno dolore audivimus, Juvenes viduas morte maturà præventas, culpâ nostrorum suppellectilem templis multam pretiosam nostris non legasse, neque acceptasse, dum superstites viduæ offerent, cum ad talia aequirenda, non tempus, sed voluntas offerentis spectari debeat. Adeant civium domos, aulas nobilium, nec non viduarum, ex quibus omnibus perquirant prudenter, num pro animæ suæ bono, vel ipsi, vel eorum amici aut affines Ecclesiis aliquid sint legaturi: idem perquirendum in parochis & prælatis, qui inducantur ad officia spiritualia facienda,

quo tempore multa nostri possunt lucrari: apud hos omnes audeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem societatis, & fidelem executionem ratione locorum, quæ accipiunt â benefactoribus, secus quàm alii seculares sacerdotes & monachi: Habeant notitiam hortorum, lapidearum, prædiorum, vinearum, civitatum, in quibus resident; pagorum, â quibus possessoribus, quibus contractibus, quibus cum gravaminibus teneantur, & num illa bona vel per contractus, vel per receptionem filiorum in societatem, aut donationem habere posfint, experiantur. Devotis & devotabus Societatis nostræ quandoque bona sua collegia vendant cum pace, quod post breve tempus, societas gratis eadem sit ab ipsis receptura. Si viduas addictas contingat habere tantum filias, eas dirigant ad religionem monialium, dote quacunque iis datâ: Cætera, uti pagos, clenodia, totamque possessionem nostri facilè lucubrantur. Si autem tantum unum filium, aut plures, vidua nostræ societati amica habuerit, nullaque sit spes fiios aut filium fore in societate, indicetur matri, sufficere, si integras possessiones filiis vel filio relinquat: at collectæ pecuniæ summam & suam propriam dotem posse legare societati. Accidit viduas esse unius aut alterius pagi, ad pietatem propensas, societatis studiosissimas: hæ inducantur ad inscribenda bona nostris collegiis, ipsæ interim contentæ sint annuam suscipere contentationem, ut Deo commodiùs vacent, curà rerum temporalium liberæ.

X. De disciplinæ rigore ostendenda in societate.

TEstabimur disciplinæ rigorem, ejiciendo à nobis, quandocunq; videtur societati, si cujuscunq; conditionis & status juvenes consumpserint ætatem & vires, morbo calenti, & alio quocunq; postquam ingresi sunt societatem, affecti fuerint. Causæ, præter Casus reservatos, ob quos excepta licita erit dimisio, hæ erunt: Si devotas nostras & amicos societati utiles, ad alias religiones dirigunt, aut parentibus indicant, sive illis â quibus impediuntur, ne ingrediantur societatem. Si in resignatione bonorum erga Consanguineos affectum ostendant, non dando totum societati: Prius tamen tales per aliquot annos in societate mortificentur. Fratres in officiis vilibus ponantur, detineantur in Scholis inferioribus, ut ibi doceant; altiora studia, præcipuè

quartus

quartus theologiæ annus, non concedatur: Capitula frequentia tempore mensæ dentur. Patres prohibeantur à confesſionibꝰ excipiendis, arceantur â converſatione externorũ, accipiantur res charæ ex cubiculis, frequentes pœnitentiæ publicæ aſſignentur. Hinc erit facilè ad dimiſſionem progredi. Si tales promisſiones notatæ in ſupra dictis vitiis conquerantur coram Provincialibus, non credatur facilè, excuſetur factum. Dicatur teneri eos obedire ſuperiori, ubicunque non eſt peccatum. Non ſint ſcrupuloſi in dimisſione ſuperiores: cum enim ordo noſter gaudeat nomine ſocietatis & ſociorum, non mirum ſocietati annexam eſſe dimisſionem: Nam ſocietatis & ſociorum vincula facilius ſolvuntur, neque ſunt perpetua. Dimisſio cœpit cum inſtituto Societatis: id evidenter ex eo patet, quia ſocietas habet vota ſimplicia pro ſcholaſticis coadiutoribusq; formata, quæ vota non habent mutuum contractum, ac ſi ſocietas habeat obligationem, perſonas cum talibus votis in ſocietate retinendi ſemper; id enim nequaquam eſt: tantum enim obligatio cadit in voventem, non in ſocietatem, quæ poteſt cum talibus votis quoscunque dimittere; quando quacunque de cauſa ſibi videbitur. Licet autem in ſocietate alii faciant profesſionem quatuor votorum, alii trium votorum ſolennium, more aliorum monachorum, tamẽ & tales à ſocietate dimitti poſſunt.

XI. Qualiter ſe unanimiter præſtabunt noſtri, contra dimiſſos.

QUoniam tales multum obeſſe poſſunt Societati, proinde obvietur his modis. Antequam ê ſocietate dimittantur, præmittat ejus rei teſtimonium dimiſſo ad eos ſpirituales & ſeculares Dominos, quorũ ipſe occupare poſſet gratiam, ibiq; habere locũ. Dicantur malæ ejus inclinationes, vitia, defectus, quos de ſe, in manifeſtatione conſcientiæ aliquando ſuperioribus aperuerat, & juxta quam in ſocietate dirigebatur, cedendo in hoc jure ſuo. Quod ſi erunt Domini noſtris addicti, & cum exaggeratione cauſæ dimisſionis proponantur, de dimiſſo in exhortationibus dicatur, quod iterum ardenter petat ingredi ſocietatem, & æternæ inſuentur cauſæ dimisſionis illæ ob quas vulgus nos odio habet: Sic enim plauſibilior erit dimisſio quorumcumq;. Si dimiſſus habeat creditũ contra nos dicendo, obvietur huic rei per noſtros graves viros, qui edictis dimisſi opponant, aut bonitatẽ ſocietatis, famã,

fructum, quem facit in Ecclesia Dei, bonam existimationem vitæ & doctrinæ, ob quæ regibus, Principibus, & Magnatibus sunt â confessionibus, concionibusque, explicent Zelum nostrum in proximos, multomagis in unumquemque hominem societatis suæ. Invitentur ad prandia illi, apud quos dimissus videtur habere partes, quibus persuadendum est, ne faveant dimisso, & teneri eos præsumere de religione, quo tempore causas dimissionis exponent, omne meis probabilitatem ostendendo, & defectus dimissi omnes enucleatè exponendo, nihil omittendo, etsi dubia aliqua sint. Caveant dimissos promovere ad ulla beneficia Ecclesiastica, nisi aut dederint non modicam pecuniam, aut sua bona inscripserint, aut singulari modo testati fuerint, se esse amicos Societatis. Id etiam Principi & Regi persuadeant confessarii aut collaturi alicui honores: argumentum accipiant ejus bonitatis ex liberalitate, & bono affectu ejꝰ in societatem nostram, fundando ei collegium, aut simile beneficium ei præstando. Si contingat dimissos habere favores hominũ, diligenter inquiratur in vitam eorum, & mores & defectus, qui per amicos & devotas nostras ordinis inferioris divulgentur. Ipsæ ne dimissis faveant, & apud se conservent dimissos, terreantur censuris, negetur absolutio, si sint pertinaces. Laudes dimissi extenuentur argutis propositionibus, ambiguisque, ita tamen, ut possint avertere, animos hominum dimisso, & ejus fidem minuere, successus mali, qui accidunt dimissis, evulgentur cum magnâ commiseratione, ut reliqui terreantur, & vel inviti maneant in Societate.

XII. *De delectu Iuvenum pro societate, modoque eos retinendi.*

SUmmâ arte & industriâ opus est, ut recipiantur juvenes ingenii boni, formâ non contemnendâ, genere nobiles & opulenti. Ut tales pertrahantur, ostendatur illis favor à Scholarum præfectis, non permittantur vexari â præceptoribus, laudenter crebrius, dentur ipsis munera, accipiantur ad vineam, tractentur fructibus, in solennitatibus accipi possunt ad refectorium. Cum aliis descendendum ad virgas, objicienda crimina ex aliquibus conjecturis, iratus vultus ostendendus, acrius compellandi & reprehendendi, Juvenilis ætas ad omnia mala quod sit in illis proclivis ostendatur, nisi religiosi fiant, damnatione æternâ terrendi. Dum

in societatem admitti petunt, non statim admittantur, differantur ad tempus, interim foveantur, in colloquiis commendetur illis suava institutum: Ita enim magno desiderio crescente, alacrius instabunt admitti, etsi voluerit postea exiri aliquis ex talibus, revocetur illi ardens studium, quo ingressum in societatem urgebat. Quoniam vero maxima est difficultas in alliciendis senatorum filiis, & hominum ditiorum in patria. Si tales sint, mittantur Romam ad novitiatum; Prius tamen præmoneatur de ipsis generalis aut Provincialis Romanus. Quod si in Germaniam, Galliam, Italiam venerint, & societatem adfectaverint, sine scrupulo suscipiantur, in illis Dominiis, in quibus monarcha civitatis est addictus. Sub tali enim Domino hæc & similia erunt peragenda, siquidem illius subditi, cum nostro favore indigeant, non facile contra nos insurgent, & si insurgant, nihil lucabrantur. Non omittantur occasiones inducendi filios eorum, qui studiorum causa ad nostra Gymnasia ex aliis Provinciis veniunt, maxime tunc cum incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amissæ pecunię, partim metu parentum aut affinium, ob molestias, quastiment, induci se sinunt: Res habuit bonum successum in Germanis & Polonis. Inconstantiæ occurrentum pro qualitate personæ ex hortationibus & malo successu dimissorum, bonoque vocationis. Ut vero parentes & affines ingredientium ad nos sint contenti, ostendatur excellentia instituti nostri, & tantus applausus mundi, & honor, qui defertur â principibus societati. Insinuent se in intimam familiaritatem ipsorum, reddantque eos contentos, si id personæ dignitas & necessitas postulabit.

XIII. De Monialibus.

CAveant offendere moniales nostri confessarii, cum tantæ sint benefactrices, ut aliquæ fundationem juverint collegiorum, plurimæ mediam dotem dederint, annuente monasterio & Abbatissâ. Quare ob clausuram non eas moléstent, relinquant Episcopis: conservent potius favorem monialium, ne contra nos agant ob dimidiatas dotes, easque exprobrent nostris datas.

XIV. De Casibus reservatis & causis dimittendi à Societate.

Præter

PRæter casus districtos in instructione, à quibus solus superior absolvet, aut ordinarius confessarius, ex ejus licentia hos casus, videlicet Sodomiam, fornicationem, adulterium, stuprum, tactus impudicos maris aut fœminæ, & si quis quacunque ratione moliatur contra societatem qualicunqne Zelo sciant esse causas dimisſionis à societate, nec prius absolventur, quam prius extra confesſionem promiserint, se id manifestaturos per se, ut confessarium superiori: qui si advertet peccatum cum complice, aut in grave damnum societatis, non absolvet, nisi pœnitens promittat, aut se ipsum scripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem scribendi confessario, aut superiori de tali causa: aliás nullo modo absolvet pœnitentem. Generalis verò casu pœnitentis cognito, re collatâ cum Secretario, de casu pœnitentis id concludet, quod pro societate pœnam asſignabit; quam si acceptare noluerit, nunquã validè poterit absolvi. Id faciendum conclusimus cum Theologis nostris in casibus reservatis & approbatione sedis Apostolicæ: frustra quibusdam repugnantibus. Taceat tamen confessarius ob id dimittendum à societate pœnitentem. Si dixerit de se pœnitens extra confesſionem, dimittatur: Si dicere noluerit, servetur cum ipso illa ordinatio, scripta contra victos. Interim tamdiu non absolvatur, quamdiu noluerit dicere extra confesſionem. Si aliqui ex nostris confessariis audierint aliquam externam personã, cujuscunque sexus, cum homine societatis rem turpem habuisse, non eam prius absolvent, quam dicat extra confesſionem, & si dixerit, dimittatur noster externa persona absolvatur. Si duo è nostris Sodomiam committent, qui non manifestabit, dimittatur, qui prior manifestabit, retineatur in societate; Sed ita mortificetur ut velit nolit. post, parva interjecta mora, alium sequantur. Poterit etiam societas, cum sit corpus quoddam, his de causis se exonerare personis, si successu temporis earum deprehenderit esse crassas in moribus & loquela: imo quascunque viderint superiores causas, Generali monito, quemlibet â societate dimittent. Ut citius dimittantur, vexentur, fiant omnia contra inclinationes eorum, negentur quæ petunt, & si res parvæ sunt, arceantur â studiis majoribus, dentur sub tales superiores, de quibus non sint contenti. Nec tales teneantur in societate, qui vexati insurgunt, in superiores, de eoque coram fratribus conqueruntur, aut displicere sibi dicunt, quæ fiunt in

socie-

societate, quoad viduas & directionem Rerumpubl. laudantque Venetos, â quibus pulsa societas. Immediatè ante dimisſionem acriter exagitetur dimittendus, amoveatur â certo officio, & nunc ad hoc, nunc ad illud officium obeundum mittatur, interim reprehendatur, quòd non benefaciat officium sibi commissum, pro levi excessu duriores asſignentur pœnitentiæ; Ex cathedrâ tempore mensæ de fectus recitentur, ita ut confundatur, & per idem tempus, dum notabilem impatientiam ostenderit, aliis audientibus & videntibus, tamquam is, qui est scandalo aliis, dimittatur. Prius tamen res ejus revideantur, & aliquo jubeatur ire ad vineam, vel vicinum collegium, interim quo in loco minimè sperat, in eo dimittatur.

XV. Quis conservari & foveri debet ex personis Societatis?

PRimum locum tenent strenui operarij, qui non modò spirituale societatis bonum, sed & temporale promovent, ut sunt opulentarum viduarum confessarii, qui dum ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à viduis, alii ipsis cum recentibus viribus & ætate, sufficiantur. His concedantur quæcunq; petunt, in cibo, vestitu, aliisq; rebus, nec vexentur à ministris pœniten-

in cibo, vestitu, aliisque rebus, nec vexantur à ministris pœniten-

tiariis: Contra tales non sint creduli superiores. Habeatur & eorum ratio, qui minimos defectus, in aliis notatos, superiori deferunt, aut positi in officio ministri Pedelli alios mortificare sciunt, non ex affectu, sed amore disciplinæ religiosæ. Foveantur juvenes illi, qui sunt affines nostrorum benefactorum & fundatorum. Quare mittendi ad studia Romam, si studeant in propria provincia concedantur illis ea, quibus foveri possent. Fiat gratia illis etiam juvenibus, qui nondum resignationem bonorum fecerunt, pro societate: post factum pane, non lacte pascendi. Nec ij postremum locum habeant, qui multos selectos juvenes ad societatem inducunt, tanqnam benè affecti instituto societatis.

XVI. Quid prætereà tum declinandum tum observandum.

NE nimium nobis affectum adscribant divitiarum, juvabit mediocres nō admittere Eleëmosynas, pro ordinariis officiis, quæ fiunt à nostris, negētur sepulturæ viles in templis nostris.

Cum

Cum viduis acrius agant, quæ se exhauserunt dando nostris. Idem faciendum cum personis nostris, qui pro societate fecerunt resignationem: imò quandocunque tales dimittantur, aut nihil eis reddendo, aut saltem benè detrahendo, obsumptus â societate eorum causa præstitos.

Hæc privata monita diligenter servent benes se superiores, & paucis, eisque gravibus ex patribus communicent, ex iisque instruant alios, quando serviunt cum fructu societati, neque ut scripta ab altero, sed ut ex peculiari prudentià deprompta aliis communicent. Quod si (absit:) in manus externorum hæc monita veniant, quoniam sinistre ea interpretabuntur, negentur hoc sensu esse societatis, per istos confirmando è nostris, de quibus certò scitur, eos talia ignorare.

Opponantur his privatis monitis generalia monita, & ordinationes impressæ aut scriptæ, his privatis contrariæ: demum inquiratur, an non ab aliquo è nostris prodita sint. (neque superior ullus erit tam negligens in asservandis tantis secretis societatis:) & si in aliquem vel leves erunt conjecturæ, illi imputetur, & ex societate dimittatur.